

252 tabula marmorea. Ostiae rep. anno 1796 alla Torre di Bovacciano VISCONTI. Romae in museo Vaticano FEA (fast.). Ibi extat (*Gall. lap. mag.* II).

TI · CLAVDIO · SEVERO ET · C · AVFIDIO VICT	orino cos <sup>a.</sup> 200
ORDO CORPORATOR · LENUNCVL	riorum
PLEROMARIORVM · AVXILIARIOR · OSTEN	sium
PATR · M · CIPIVS · VITALIS · ET · T · ANTISTIVS · FAVOR ·	
5 Q · L · VEIVS · ADIVTOR · M · CLOELIVS · CARVS ·	
P · CIARCIVS · VITALIS · M · CI · PIVS · FOR · TIS ·	sic
C · FONTEIVS · FORTVNATVS · Q · ATILIVS · MARITIMVS	
PLEBS	
M · CIPIVS · OSTIENSIS · P · CLOELIVS · PRIMVS · IVN	
10 Q · ATILIVS · LVCRIO · P · CLYLIVS · LAEONA	s
sic Q · ATILIVS · SVCESSVS ·	
sic P · CLOELIVS · TREPTVS ·	
M · CIPIVS FELIX ·	
P · CLOELIVS · VITALIO ·	
15 M · CIPIVS · FORTVNATVS	
P · CIARCIVS · VITALIS	
L · VEIVS · PARATVS	
Q · ATILIVS · SVCESSVS	
M · CIPIVS · FELIX	
25 P · CLOELIVS · PRIMVS	
P · CLOELIVS · ABASCANTVS	
C · FONTEIVS · VICTOR	

Descripsit Henzen, recognovi ipse. E. Q. Visconti *lettera su due monumenti ne' quali è memoria d' Antonia Augusta* (Rom. anno VII rep. 4<sup>o</sup>) p. 9 = *opere varie* 2 (Med. 1829) p. 56 (inde initium Orelli 4104); Fea *viaggio ad Ostia* p. 47, fasti n. 41 cf. p. LIX.

V. 14 maiore ex parte et reliqui toti perierunt ex quo venit inscriptio in museum Vaticanum; eos dedi inclinatis.

253 fragmentum tabulae marmoreae Ostiae in museo.

m. cloelius	·	MARITIMVS	s
q. atilius	·	MARITIMVS	s
p. cloelius	·	PRIMVS · IVN	s
p. elylius	·	LEONA	s
5 . . . . .	·	FELICI	s
. . . . .	·	VS · CRESCEN	s

Descripsi.

1—4 eadem nomina eodem ordine recensentur in tabula n. 252, II, 5—10. Itaque videtur esse hoc fragmentum alterius albi eiusdem corporis.

Ordinem *corporatorum lenunculariorum pleromariorum auxiliariorum Ostiensium*, cuius matricem scriptam anno 200 habemus fortasse integram, alterius frustulum exiguum, diversum puto ab ordine *corporatorum lenunculariorum tabulariorum auxiliariorum Ostiensium*, non solum propter nominis diversitatem, sed ideo quod numerus lenunculariorum tabulariorum incisus anno 192 (n. 251) multo maior fuit quam numerus lenunculariorum pleromariorum fuit octo solis annis post; ille enim fuit plebs hominum CCLXI, hic cum honoratis vix hominum XX (perierunt autem ex nominibus nostrae tabulae aut nulla aut pauca); deinde quod splendor corporis lenunculariorum tabulariorum perspicitur ex numero patronorum et dignitate, quorum bona pars fuerunt senatores populi Romani, lenuncularii pleromarii non habuerunt nisi duos patronos, alterum T. Antistium Favorem equitem Romanum et decurionem coloniae Ostiensis (cf. n. 294), alterum M. Cipium Vitalem dignitate vix superiore; nec certe potuit omitti L. Fabius Cilo Septiminus patronus lenunculariorum tabulariorum anno 192, quem anno 200 et vixisse et floruisse certo scimus. Quod autem in plebe lenunculariorum pleromariorum reperiuntur nomina nonnulla communia cum lenunculariis tabulariis<sup>1)</sup>, id parvi momenti est; nam et vulgaria in Ostiensibus sunt ea nomina et facile diversorum hominum, et casu idem homo a. 192 inter tabularios lenuncularios et a. 200 inter pleromarios esse potuit; immo si idem esset corpus, multo plures ex corporatis anni 200 inveniri inter corporatos anno 192 necesse fuit. Diversi igitur fuerunt *lenuncularii pleromarii auxiliarii* a *lenunculariis tabulariis auxiliariis*.

Quae res nequaquam est mira, cum etiam tertius similis ordo Ostiae fuerit, scilicet *corporati scapharii et lenuncularii traiectus Luculli* (memorati in titulo Cn. Senti Felicis cf. ad n. 254), immo etiam plures, si vere in titulo n. 352 legitur (*quinque*) *corpora lenunculariorum Ostiensium*. — Quibus autem rebus vacaverint tot ordines lenunculariorum, ex ipso nomine perspicitur. Nam lenunculus est navicula non navigationi transmarinae sed sive piscatui (cf. Nonius 13, 8) sive litoribus legendis (cf. Tacit. ann. 14, 5, Caes. b. c. 2, 43) destinata; *auxilarii* igitur lenuncularii (quod nomen utrique corpori cuius habemus matriculas commune est) videntur ei fuisse qui cum lenunculis suis maioribus navibus auxilio esse debebant, maxime puto in accipiendis mercibus et in naves eis imponendis; quorum numerum olim ante portum Ostiensem a Claudio factum Straboni imposuisse ex ipsius ore scimus (5, 3, 5 p. 231 cf. supra praef. p. 6) et quorum etiam post eum portum factum aliquis potest fuisse usus. Eodem videtur redire nomen *pleromariorum* lenunculariis eis, quorum est n. 252, proprium, ductum id a Graeco *πλήρωμα*<sup>2)</sup>. Contra quo redeat appellatio *tabulariorum*<sup>3)</sup> datum alteri corpori lenunculariorum ei cuius sunt n. 250. 251, non liquet. Causa autem nomina sua in marmore perscripta publice proponendi ea puto fuit his lenunculariis quod immunitate utpote annonam urbis Romae adiuvantes fruebantur.

<sup>1)</sup> *M. Cipius Felix* (n. 252 13. 19) redit supra n. 251, 3, 23; item *M. Cipius Ostiensis* (n. 252, 9) redit supra n. 251, 8, 35.

<sup>2)</sup> Cf. Servius ad Vergil. Aen. 11, 326. — Praeterea memorantur pleromarii in titulo promunturii Sallentini vol. IX n. 1, pleroma in classe Germanica fortasse apud Henzenum n. 6866.

<sup>3)</sup> *Tabularios* cum *tabellariis* male confundit Preller act. Lips. min. 1849. p. 149.